



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 48. Parisinæ Facultatis Theologicæ conatus contra Patris Maldonati
Jesuitæ sententiam de Conceptione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

§. XLVIII.

Sæcul. XVI.

A. C. 1575.

*Parisiensium Facultatis Theologicæ con-
tractus contra Patris Maldonati Je-
suitæ sententiam de Con-
ceptione.*

Insuper alia causa Parisiensem Facul-
tatem Theologicam hoc anno disten-
tam tenebat, ad quam dedit occasio-
nem opinio, quam Joannes Maldona-
tus Jesuita docuit circa Conceptionem
Beatissimæ Virginis, & durationem
pœnarum purgantium: hic enim Re-
ligiosus anno ætatis suæ trigesimo,
Christi vero millesimo quingentesimo
sexagesimo secundo Societatis institu-
tum amplectebatur, postquam antea
Salmanticæ sub Dominici Soto Domi-
nicani, & Francisci Toleti Jesuitæ post-
ea Cardinalis Magisterio sua studia ab-
solverat, græcamque linguam, Philoso-
phiam, & Theologiam, priusquam se
Societati manciparet, tradiderat: Jesuitæ
de summo hujus Viri progressu in
literis edocti, anno Domini millesimo
quingentesimo sexagesimo tertio eun-
dem Lutetiam Parisiorum mittebant,
ut ibidem in Collegio Claromontano
primus e Theologis Societatis Jesu Pro-
fessor esset, ubi etiam suas lectiones
habuit cum tanta auditorum frequentia,
ut ex omnibus Provinciis, ad quas sese
fui

Argentre
pag. 443.

Sæcul. XVI.
A.C. 1575.

fui nominis fama extenderat, Scholares eum audituri concurrerent: dum vero Pictavium contenderat, ibidem Societatis Collegium erecturus, seque hæreticis oppositurus, Sedani in Lotharingia, & alibi cum Novatorum Ministris disputationes habuit, atque anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo tertio Parisios reversus ibidem rursus in Scholis prælegit, ubi paulopost coram profanis Judicibus accusabatur, quod Montbrunium sancti Andreæ Præsidentem, cui moribundo adstitit, sollicitaverit, ut Societatem ex asse hæredem nominaret, ideo citatus innocentiam suam testatam reddidit, unde Senatus cognita Viri probitate eundem ab accusationum calumnia vindicavit.

Verum non eadem facillitate coram Facultate Theologica suam doctrinam defendere poterat; cum enim suis Discipulis e suggestu tractatum de Incarnatione dictaret, ibidemque quæstionem de immaculata Beatæ Virginis Conceptione veluti opinionem problematicam agitaret, Parisienses Theologi vehementer in eum insurgebant, unde hic Jesuita sæpius ab Universitate citatus est, cum autem comparere renueret, totum negotium ad Petrum Gondium Parisiensem Episcopum remittebatur:

batur: præprimis vero Universitas in quodam quatuor Facultatum Conventu per Rectorem convocato accusationis libellum confecit, ibidemque quæsta est, quod Maldonatus insuperhabitis prudentiæ rationibus, pietatisque, & charitatis legibus novitates introducendi, fovendi schisma, atque erga Universitatis statuta contemptum inspirandi occasionem quæreret, cum sat notum esset, quod præcipue post Basileensis Concilii decretum Ecclesia Gallicana semper Beatissimam Virginem ab originalis peccati labe immunem esse senserit, ac docuerit, omnesque Galli in pia hac doctrina enutriti Beatæ Virginis Conceptionem honorare, sese obstrictos agnoscant, ac semper cum magno emolumento hunc cultum exhibuerint, nihilominus nunc Maldonatus oppositam doctrinam tradere aude- ret, hacque ratione schismati aditum panderet.

§. XLIX.

Parisiensis Episcopi sententia in favorem Maldonati.

Equidem Jacobus Ceuillines, qui tunc *Argentrel.* erat Prior Sorbonicus, & Rector Academiæ, sacram Facultatem de iis quæstionibus consulendam censuit: cum autem graviter ferret Reverendissimus Pari-

Sæcul. XVI.
A. C. 1575.